



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

Quæstio LXXXI. De modo, quo Christus vsus est hoc sacramento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

aut illi fiat irreuerentia: solum ergo cauendum est scandalum, & procurandum, vt maxima reuerentia adhibeatur.

QVÆSTIO LXXXI.

De modo, quo Christus vsus est hoc sacramento, in quatuor articulos diuisa.



Einde considerandum est de vsu huius sacramenti, quo Christus vsus est in prima sui institutione.

Et circa hoc quaruntur quatuor.

Primò, vtrum Christus sumpserit suum corpus & sanguinem.

Tertiò, quale corpus sumpserit aut dederit, vtrum scilicet passibile vel impassibile.

Quartò, quomodo se habuisset Christus sub hoc sacramento, si fuisset in triduo mortis reueruatum, aut consecratum.

Qvæstio hæc solum per occasionem hoc loco est à Diuo Thoma interposita: omnia vero, quæ in ea tractantur, fere pertinent ad institutionem huius mysterij declarandam, prout à Christo Domino rescripta sunt, declarando primam institutionem huius mysterij in ratione sacramenti, partim addentur inferius, tractando de institutione eiusdem mysterij in ratione sacrificij. Et ideo ne institutam seriem disputationum interrumpamus, hic solum circa literam Diui Thomæ, si quid occurrerit, annotabimus.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus sumpserit suum corpus & sanguinem.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Christus non sumpserit corpus suum & sanguinem. Non enim de factis Christi, & dictis asseri debet, quod auctoritate sacra Scriptura non traditur. Sed in Euangely non habetur, quod Christus corpus suum manducauerit, aut sanguinem suum biberit. Non ergo est hoc asserendum.

2. Preterea, nihil potest esse in seipso, nisi forte ratione partium: prout scilicet vna pars eius est in alia, vt habetur 4. Lib. 4. sent. Physic. Sed illud, quod manducatur & bibitur, est in manducante, & bibente. Cum igitur totus Christus sit sub vtraque specie sacramenti, videtur impossibile fuisse, quod ipse sumpserit hoc sacramentum.

3. Preterea, duplex est sumptio huius sacramenti, scilicet, spiritualis, & sacramentalis. Sed spiritualis non competeat Christo (quia nihil à sacramento accepit) & per consequens nec sacramentalis, quæ sine spirituali est imperfecta, vt supra habitum est. Ergo Christus nullo modo hoc sacramentum sumpserit.

Sed contra est, quod Hier. dicit ad Lesbiam, Dominus Iesus Christus, ipse conuiuia, & conuiuium: ipse comedens, & qui comeditur.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt: quod Christus in cena corpus & sanguinem suum discipulis suis tradidit, non tamen ipse sumpserit. Sed hoc non videtur conuenienter dici: quia Christus ea, quæ ab alijs obseruanda instituit, ipse primitus obseruauit. Vnde & ipse prius baptizari voluit, quam alijs Baptismum imponeret, secundum illud Actuum 1. Capie Iesus facere, & docere. Vnde & primo ipse corpus suum & sanguinem sumpserit, & postea discipulis sumendum tradidit. Et hoc est, quod Ruth. 3. super illud. Cumq; comidisset & bibisset, & c. dicit Gloss. quod Christus comedit & bibit in cena. Gl. ord. ibi.

Turrian. lib. 8. constit. Clement. cap. 31. & Augustinus Patricius, in libr. de aduersu Frederici III. Imperat. Romani. Addit etiam Claud. reper. in c. 20. Parisiis seruari similem consuetudinem in Conuentu Cluniacensi. Omitto alias consuetudines, quæ dicuntur esse apud Muscovitas, vt refert Petr. Comestor in Histor. Schol. c. 151. & apud Æthiopes, vt refert Claud. supra, reper. 10. c. vlt. nam hi schismatici sunt, sicut etiam Græci, qui eundem vsum obseruant, quamuis Græci in hoc non videantur esse schismatici, quia nec ob eam consuetudinem ab Ecclesia Romana dissentiant: neque de nostra consuetudine male sentiunt, quantum ego potui, vel audiendo, vel legendo, assequi.

Sed quæret tandem aliquis, an hæc prohibitio Ecclesiæ tanto rigore obliget laicos, vt in nullo casu, & nulla de causa, eis liceat bibere sanguinem Domini, absque speciali dispensatione. Aliqui enim ita exaggerant hanc prohibitionem, in odium fortasse hæreticorum, vt nunquam huiusmodi casum admittant, in quo id permittere sit necessarium. Vnde Soto distinct. 13. quæst. 2. art. 6. dicit: si contingat, Sacerdotem sacrificantem mori post consecratum, & ante consumptum sanguinem, & nullum adesse Sacerdotem, à quo possit consumi, etiam si species vini corrumpantur, & in acetum mutantur, vel paulatim consumenda censeantur, non licere laico illas sumere. Sic etiam dicunt aliqui, si contingat, sanguinem Domini in terram cadere, & nullum esse Sacerdotem, qui illum velit lambere, non permitti laico, vt id faciat: sed solum vt diligenter caueat, ne conculcet, sed feruetur, donec exsiccet, & postea radatur, & comburatur. Sed hæc & similia, valde rigida sunt, & sine sufficienti fundamento: nam hoc solum est Ecclesiasticum præceptum: & ob maiorem reuerentiam ipsius sacramenti introductam: non est ergo, cur obliget cum tanto rigore, & cum euidente periculo, & occasione maioris irreuerentiæ eiusdem sacramenti. Dico igitur, solum propter vsum sacramenti, & utilitatem suscipientis, nunquam licere laico sumere sanguinem Domini absque dispensatione. Probatur ex generali prohibitione absque vlla exceptione, quia nulla occurrere potest sufficiens causa, ob quam cesset hæc obligatio, solo illo fine durante: quia, illo non obstante, facta est prohibitio. Dices, occurrere posse mortis articulum, in quo possit infirmus Dominici calicis haustum, non tamen Eucharistiam, id est, corpus deglutire, vt dicitur in concilio Toletan. XI. capitul. 11. tunc enim licebit sumere: quia ius diuinum præferendum est Ecclesiastico. Respondeo, casum esse moraliter impossibilem, vel rarissimum, quia, qui potest traicere species vini, poterit etiam deglutire minimam hostiam consecratam particulam, aquæ aut vino non consecratæ immixtam: & quamuis admittatur casus, cum ille rarissimus sit, propter illum solum non censerem, dandam esse hanc licentiam, ne detur occasio indiligeretis ministris ampliandi illam, & similes casus facile admittendi sine necessitate. Vnde minister nolens tunc dare sacramentum, iure excusabitur, qui propter grauisimam causam & publicam id facit: & consequenter etiam excusabitur ægrotus, vel quia non habet copiam sacramenti, vel quia moraliter censeatur impotens: & ita non violabitur ius diuinum: quod, cum affirmatiuum sit, non obligat semper, sed occurrentibus moralibus circumstantiis. Nec tunc ius humanum præfertur diuino, sed occasione humani iuris tales concurrunt circumstantiæ morales, vt ius diuinum affirmatiuum non obliget, quod frequens est in huiusmodi præceptis. At vero, si ex parte ipsius sacramenti occurrat necessitas, vt in prædictis casibus, aut, si calix consecratus venturus sit in manus infidelium, & effundendus existimo, consumi posse à laico in absentia ministri consecrati, tunc enim seruare verba legis, esset agere contra finem legis, qui est, ne sanguis effundatur.

cum corporis & sanguinis sui sacramentum discipulis tradidit. Vnde, quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse participauit eisdem.

Ad primum ergo dicendum, quod in Euangelij legitur, quod Christus accepit panem & calicem, non est autem intelligendum, quod accepit solum in manibus, vt quidam dicunt, sed eo modo accepit, quo alij accipiendum tradidit. Vnde, cum discipulis dixerit, Accipite, & comedite, & iterum, Accipite & comedite, intelligendum est, quod ipse accipiens comederit & biberit. Vnde & quidam metricè dixerunt, Rex sedet in caena, turba cinctus duodena, se tenet in manibus, se cibatur ipse cibus.

Q. 76. ar. 1. ad secundum dicendum, quod (sicut supra dictum est) CHRISTVS, secundum quod est sub hoc sacramento, comparatur ad locum, non secundum proprias dimensiones specierum sacramentalium, ita quod in quocumq; loco: vbi sunt illae species, est ipse Christus. Et quia species ille potuerunt esse in manibus, & in ore Christi, ipse totus Christus potuit esse, in suis manibus, & in suo ore. Non autem hoc potuisse esse, secundum quod comparatur ad locum per proprias dimensiones.

Q. 79. ar. 1. Ad tertium dicendum, quod (sicut supra dictum est) effectus huius sacramenti est, non solum augmentum habitualis gratiae, sed etiam quedam actualis delectatio spiritualis dulcedinis. Quamuis autem Christo gratia non fuerit augmentata ex susceptione huius sacramenti, habuit tamen quandam spirituales delectationem in noua institutione huius sacramenti. Vnde ipse dicebat Luca 22. Desiderio desiderauit hoc Pascha manducare vobiscum, quod Eusebius exponit de nouo mysterio noui Testamenti, quod tradebat discipulis. Et ideo spiritualiter manducauit, & similiter sacramentaliter, in quantum corpus suum sub sacramento sumpsit, quod sacramentum sui corporis intellexit & disposuit. Aliter tamen, quam ceteri sacramentaliter & spiritualiter sumunt: quia augmentum gratiae suscipiunt sub sacramentalibus signis, quibus indigent ad veritatis perceptionem.

Aliis qui augmentum gratiae suscipiunt & sacramentalibus signis indigent, etc.

COMMENTARIVS.

D. Thom. conclusio. Afirmat D. Thom. rationabiliter credi, Christum seipsum communicasse, suumque corpus & sanguinem sumpsisse: non est enim haec assertio certa, cum neque in Scriptura, nec certa traditione, aut definitione habeatur, & ideo merito D. Thom. solum, vt probabilem eam proponit, quam in argumento, sed contra, probat ex Hieronymo episcopo.

D. Hieron. ad Lesbiam, est autem in epistola 150. ad Hedibiam, vbi de Domino Iesu inquit: Ipse conuiuia & conuiuuii, ipse comedens, & qui comeditur: quae verba referuntur etiam in capit. Nec Moyses, de Consecratione distinct. 2. Sed, si attente considerentur, non dicit in eis expresse Hieronymus, CHRISTVM comedisse se ipsum, sed solum comedisse, & manducatum fuisse, quae possent esse vera, etiam si se non comedisset, nam comedit agnum, vel alios cibos, & se praebuit alijs comedendum. Sed nihilominus sensus Hieronymi, quem D. Thomas indicat, est valde probabilis: quia Hieronymus illis breuius verbis significare voluit grande miraculum, quod in hoc potissimum declaratur, quod ipse comedens sit, qui comeditur, non tantum respectu diuersorum, sed etiam respectu sui ipsius; quomodo et dixit auctor carminum, quae D. Th. citat ad 1. Se tenet in manibus, se cibatur ipse cibus: quod recte explicabitur, si verum esse supponatur, quod supra diximus; caenam mysticè peracta esse à Christo post legalem, & ante inchoatam vtualem; in illa ergo caena, etiam fuit Christus comedens, & qui comedebatur: in ea autem nihil comestum est, nisi ipse Christus: & in eodè sensu, auctore D. Th. de Christo canit Ecclesia: Se nascens dedit socium, conuescens in caeliu. Secundo hoc probat D. Th. ex Gl. ordinaria Ruth. 2. in qua citatur etiam Theodoret. qui ad hoc confir-

D. Thom.

Theodor.

mandum vsus est verbis Pauli ad Hebr. 2. Quia pueri communicauerunt carne & sanguine, & filius Dei participauit eisdem: quae verba solum per accommodationem quandam adducta esse videntur: nam ibi non de hoc mysterio differit Paulus, sed de mysterio Incarnationis, in quo filius Dei mortalem carnem assumpsit, vt fratrib. heret. similis. Tertio videtur hoc probare D. Th. in solut. ad 1. ex illis verbis Euangeliorum (Accipit Iesus panem, &c.) quia non tantum intelligendus est accepisse in manibus, sed etiam, vt ex eo comederet, sicut Apostolis dixit, vt acciperent & comederent. Sed hoc recte quidem dicitur, & praimitur, vel à paritate rationis coniectatur, tamen ex verbis non probatur: quia verbum (Accipit) in rigore solum significat: Accipisse in sanctas ac venerabiles manus suas: vt in canone Missae explicatur, Vnde postmodum Apostolis Christus dixit (Accipite) subdens: (& comedite) acceptionem manuum à manducatione distinguendo: vnde videtur posse retorqueri argumentum, nam, quia in Apostolis duplex acceptio fuit manibus, & ore, duplici verbo explicatur, Christo vero sola acceptio manuum attribuitur: ergo altera tantum est, & negatur. Sed haec etiam collegetur nullius momenti est, quia ex hoc, quod aliquid taceatur, non ideo sequitur negari, potest enim taceri, vel quia ad causam vel historiam, de qua agitur, non refert, vel quia ex alijs, quae narrantur, facile subintelligi potest, & ita credendum est, in praesenti accidisse. Quarto adhibet D. Thom. congruentiam, ob quam dicitur Christum comedere, quod alijs dabit, vt exemplo praeter, obseruando ea, quae obseruari instituebat, in qua congruentia difficultatem habet exemplum baptismi, quod D. Thom. adducit: sed de hoc etiam tractatum superius q. 72. art. 3.

In solut. ad 3. tractat D. Thom. an haec manducatio Christi fuerit sacramentalis tantum, vel simul spiritualis: sed de hac re, & de alijs, quae ad illam spectant, dicemus infr. disp. 75. scilicet 2.

ARTICVLVS II.

Verum Christus dederit Iudae corpus suum.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod Christus Iudae non dederit corpus suum. Vt enim legitur, Matt. 26. Postquam dedit Dominus corpus suum, & sanguinem discipulis, dixit, eis, Non bibam à modo de hoc gemine vitis, vsque ad diem illum, cum illud bibam vobiscum nauim in regno Patris mei. Ex quo videtur, quod illi, quibus corpus suum & sanguinem dederat, cum eo essent iterum bibaturi, sed Iudaei postea cum ipso non biberunt. Ergo non accepit eam alijs discipulis corpus Christi & sanguinem.

2. Praeterea, Dominus impleuit, quod praecipit, secundum illud Act. 1. cepit Iesus facere & docere. Sed ipse praecipit, Matt. 7. Nolite sanctum dare canibus. Cum ergo ipse cognosceret Iudam esse peccatorem, videtur, quod ei corpus suum & sanguinem non dederit.

3. Praeterea, Christus specialiter legitur Iudae panem ministrum porrexisse, Ioan. 13. Si ergo corpus suum ei dedit, videtur, quod sub buccella ei dederit, praecipue cum legatur ibidem, quod post buccellam introiit in eum Satanas. Vbi Augustinus dicit, Trid. Hinc nos docemur, quam sit cauendum male accipere bonum: si enim corripitur, qui non dignificat, id est, non discernit corpus Domini à ceteris cibis, quomodo non damnabitur, qui ad eum mensam fingens se amicum, accedit inimicus? Sed cum buccella intincta non accepit corpus Christi, vt enim Aug. dicit, super illud Ioan. 13. Cum intinxisset panem, dedit Iudae Simonis Iscariote: non, vt putant quidam negligenter legentes, nisi Iudae corpus Christi accepit. Ergo videtur, quod Iudae corpus Christi non accepit.

Sed contra est, quod Chrysostomus dicit, Iudae participat istens mysteriorum, conuersus non est. Vnde fit scilicet Iudaeus, vt inquit immannus, tunc quia tali proposito imbutus est.

mysteria, tum quia audiens melior factus non fuit, nec metu, nec beneficio, nec honore.

Respondeo dicendum, quod Hilarius... quod CHRISTVS Iuda corpus suum & sanguinem non dedit. Et hoc quidem conueniens fuisse, considerata malitia Iuda. Sed quia Christus nobis debuit esse exemplum iustitie, non conueniebat eius in agisterio, ut Iudam occultum peccatorem sine accusatore & euidenti probatione, ab aliorum communione separaret, ne per hoc daretur exemplum Prelatis Ecclesie, familia faciendi: & ipse Iudas exasperatus, inde sumeret occasionem peccandi. Et ideo dicendum est, quod Iudas cum alijs discipulis corpus Domini & sanguinem suscepit, ut dicit Dionysius in libro de Eccles. Hierar. & August. super Ioan.

Ad primum ergo dicendum, quod illa est ratio Hilarij... ostendendum, quod Iudas corpus Christi non sumpsit. Non tamen cogit: quia Christus loquitur discipulis, a quorum collegio Iudas se separauit, non autem Christus eum exclusit. Et ideo Christus quantum est in se, etiam cum Iuda uinum in regno Dei bibit, sed hoc conuuiuium ipse Iudas reputauit.

Ad secundum dicendum, quod Christo nota erat Iuda iniquitas, sicut Deo: non autem erat sibi nota per modum, quo hominibus innotescit. Et ideo Christus Iudam non reputat a communione, ut daret exemplum tales peccatores occultos non esse ab alijs sacerdotibus expellendos.

Ad tertium dicendum, quod sine dubio Iudas sub pane intincto, corpus Christi non sumpsit, sed simplicem panem. Significatur autem fortassis (ut Aug. ibidem dicit) per panis intinctionem factio Iuda: ut enim inficiantur nonnulla, intinguntur. Si autem bonum aliquid hic significat intinctio (scilicet dulcedinem bonitatis diuine, quia panis ex intinctione sapidior redditur) idem bonum ingratum non immerito est secuta damnatio. Et propter hanc ingratitude, id, quod est bonum, factum est ei malum: sicut accidit circa sumentes corpus Christi indigne. Et sicut Aug. ibidem dicit, intelligendum est, quod Dominus iam antea distribuerat omnibus discipulis suis sacramentum corporis & sanguinis sui, ubi & ipse Iudas erat, sicut Lucas narrat. Ad deinde ad hoc uentum est, ubi secundum narrationem Ioannis, Dominus per buccellam tinctam, atq; porticellam suam exprimit proditorem.

COMMENTARIVS.

Reijcit D. Thom. sententiam Hilarij negatis Christum communicasse Iudam, & sequitur sententiam Dionysii, Chrysostr. & Augusti. (quos citat) contrarium asserentium. Solumq; hanc sententiam confirmat: quia non expediebat, Iudam occultum peccatorem sine accusatore & euidente probatione ab aliorum communione separare: que ratio supponit, Iudam adfuisse, quando Dominus ceteris discipulis Eucharistiam dedit, quod in solut. ad 3. D. Thomas confirmat ex narratione Lucæ & Ioannis, de hac uero re disputatum a nobis est supr. disputat. 41. sect. 2. quia ad tempus institutionis declarandum necessarium fuit.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus sumpserit & discipulis dederit corpus suum impassibile.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Christus sumpserit, & discipulis dederit corpus suum impassibile. Quia super illud Matth. 17. Transfiguratus est ante eos, dicit quadam Gloss. * Illud corpus, quod habuit per naturam, dedit discipulis in cena, non mortale & passibile. Et tenet. 2. super illud: Si oblatio tua fuerit de sartagine, dicit Gloss. + Crux super omnia fortis, carnem CHRISTI, que ante passionem non uidebatur efusi apta, post aptam fecit. Sed Fr. Suarez Tom. 3.

Christus dedit corpus suum, ut aptum ad manducandum. Ergo dedit tale, quale habuit post passionem scilicet impassibile, & immortale.

2. Præterea, Omne corpus passibile per contactum & manducationem patitur. Si ergo corpus Christi erat passibile, per contactum & comestionem discipulorum passum fuisset.

3. Præterea, Verba sacramentalia non sunt modo maioris uirtutis, quando proferuntur à sacerdote in persona Christi, quam tunc, quando fuerunt prolata ab ipso CHRISTO. Sed nunc uirtute uerborum sacramentalium, in altari consecratur corpus Christi impassibile & immortale, ergo multo magis tunc.

Sed contra est, quod sicut Innoc. III. dicit tale corpus tunc dedit discipulis quale habuit. Habuit autem tunc corpus passibile & mortale: ergo corpus passibile & mortale discipulis dedit.

Respondeo dicendum, quod Hugo de sancto uicti. posuit, quod Christus ante passionem diuersis temporibus quatuor doctores corporis glorificati assumpserit: subilitatem, scilicet, in natiuitate, quando exiit de clauo uero uirginis: agilitatem quando ambulauit sicis pedibus super mare; claritatem in transfiguratione, impassibilitatem in cena, quando corpus suum discipulis tradidit manducandum, & secundum hoc dedit à discipulis corpus suum impassibile & immortale. Sed quidquid sit de alijs (de quibus supra dictum est, * quid sentire debeat) circa impassibilitatem tamen impossibile est, esse quod dicitur Manifestum est enim, quod idem uerum corpus Christi erat, quod à discipulis tunc in propria specie uidebatur, & in specie sacramenti sumebatur. Non autem erat impassibile, secundum quod in propria specie uidebatur, quoniam erat passioni paratum. Unde nec ipsum corpus Christi, quod in specie sacramenti dabatur, impassibile erat. Impassibile tamen modo erat sub specie sacramenti, quod in se erat passibile, sicut inuisibiliter, quod in se erat uisibile. Sicut enim uisio requirit contactum corporis, quod uidetur ad circumstantiam medium uisionis, ita passio requirit contactum corporis, quod patitur, ad ea, que agunt. Corpus autem Christi, secundum quod est sub Sacramento (ut supra dictum est) non comparatur ad ea que circumstant, mediantribus proprijs dimensionibus specierum panis & uini. Et ideo species ille sunt, que patiuntur & uidentur, non autem ipsum corpus Christi.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus dicitur in cena non dedisse corpus suum mortale & passibile, quia non dedit mortali & passibili modo. Crux autem fecit carnem Christi aptam manducationi, in quantum hoc sacramentum representat passionem Christi.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procederet, si corpus Christi, sicut erat, passibili modo fuisset sub Sacramento.

Ad tertium dicendum, quod (sicut supra dictum est) accidentia corporis Christi, sunt in Sacramento ex reali concomitantia, non autem ex vi sacramenti; ex qua est ibi substantia corporis CHRISTI. Et ideo uirtute uerborum sacramentalium ab hoc se extendit, ut sit sub Sacramento corpus Christi, scilicet, quibuscumq; accidentibus realiter in eo existentibus.

Materia huius & sequentis articuli fufe tractata est supra, in disputationibus de presentia.

ARTICVLVS IV.

Vtrum, si hoc sacramentum tempore mortis Christi fuisset seruatum vel consecratum, ibi moreretur.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod si hoc sacramentum tempore mortis CHRISTI fuisset seruatum, tam in pyxide, vel ab aliquo Apostolorum consecratum, non

quod 5. art. non ibi moreretur. Mors enim CHRISTI accidit per eius
11 ad 1. & 10. passionem. Sed Christus impassibili modo etiam tunc erat
obsc. 6. fin. in hoc sacramento. Ergo non poterat mori in hoc sacra-
1. Cor 11. mento.

2. Præterea, In morte Christi separatus fuit sanguis eius à corpore. Sed in hoc sacramento simul est corpus Christi, & sanguis. Ergo CHRISTVS in hoc sacramento non moreretur.

3. Præterea, Mors accidit per separationem anima à corpore. Sed in hoc sacramento continetur tam corpus, quam anima Christi. Ergo in hoc sacramento non poterat Christus mori.

Sed contra est, quod idem Christus, qui erat in cruce, fuisse in sacramento. Sed in cruce moriebatur. Ergo & in sacramento conseruato moreretur.

Respondeo dicendum, quod corpus Christi in se in substantia, est in hoc sacramento, & in propria specie, sed non eodem modo. Nam in propria specie, contingit circumstantia corporea per proprias dimensiones, nõ autem, prout est in hoc sacramento, vt supra dictum est. * Et ideo, quicquid pertinet ad Christum, secundum quod in se est potest tribui ei, & in propria specie, & in sacramento existenti, sicut viuere, mori, dolere animatum, vel inanimatum esse, & cetera huiusmodi. Quacumq; vero conueniunt ei per comparationem ad corpora extrinseca, possunt ei attribui in propria specie existenti, non autem, prout est in sacramento: sic irrideri, conspui, crucifigi, flagellari, & cetera huiusmodi. Vnde & quidam metricè dixerunt. Pyxide seruato poteris sociare dolorem. Inmatum, sed non illatus conuenit illi.

Ad primum ergo dicendum, quod (sicut dictum est) passio conuenit corpori passio, per comparationem ad agens extrinsecum. Et ideo Christus secundum quod est sub hoc sacramento, pati non potest, potest tamen mori.

Ad secundum dicendum, quod (sicut supra dictum est) sub specie panis est corpus Christi ex vi consecrationis: sanguis autem sub specie vini. Sed nunc quidem, quando realiter sanguis Christi non est separatus ab eius corpore, ex reali concomitantia & sanguis Christi est sub specie panis simul cum corpore, & corpus sub specie vini simul cum sanguine. Sed si, tempore passionis Christi, quando realiter sanguis fuit separatus à corpore Christi, fuisse hoc sacramento consecratum, sub specie panis fuisse solum corpus, & sub specie vini fuisse solum sanguinem.

Ad tertium dicendum, quod (sicut supra dictum est) anima Christi est in hoc sacramento ex reali concomitantia, quia non est sine corpore, non autem ex vi consecrationis. Et ideo, si tunc fuisse hoc sacramento consecratum vel per actum, quando anima erat à corpore realiter separata, non fuisse anima Christi sub hoc sacramento, non propter defectum virtutis verborum, sed propter aliam dispositionem rei.

QVÆSTIO LXXXII.

De ministro huius sacramenti, in decem articulos diuisa.



Emde considerandum est de ministro huius sacramenti.

Et circa hoc quaeruntur decem.

Primo, vtum consecrare hoc sacramento sit proprium sacerdotis.

Secundo, vtum plures sacerdotes simul possint eandem hostiam consecrare.

Tertio, vtum dispensatio huius sacramenti pertineat ad solum sacerdotem.

Quarto, vtum liceat sacerdoti consecrandi à communionem abstinere.

Art. IV.

Quinto, vtum sacerdos peccator possit consecrare hoc sacramentum.

Sexto, vtum Missa mali sacerdotis minus valeat, quam boni.

Septimo, vtum heretici, schismatici, vel excommunicati, possint consecrare hoc sacramentum.

Octauo, vtum degradati.

Nono, vtum peccent, à talibus communionem recipientes.

Decimo, vtum liceat sacerdoti omnino à celebratione abstinere.

ARTICVLVS I.

Vtrum consecratio huius sacramenti sit propria sacerdotis.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod consecratio huius sacramenti non sit propria sacerdoti. Dicitur enim supra, quod sacramentum consecratur virtute verborum, quae sunt forma huius sacramenti. Sed illa verba non mutantur, sicut dicuntur à sacerdote, sive à quocumque alio. Ergo videtur, quod non solum sacerdos, sed etiam quilibet alius possit hoc sacramentum consecrare.

2. Præterea, Sacerdos hoc sacramentum conficit in persona Christi. Sed laicus sanctus est vnus Christo per charitatem. Ergo videtur, quod etiam laicus possit hoc sacramentum consecrare. Vnde & Chrysostomus dicit super Mat. quod omnis Sanctus est sacerdos.

3. Præterea, Sicut baptismus ordinatur ad hominum salutem, ita & hoc sacramentum, sicut ex supra dictis patet. Sed etiam laicus potest baptizare, vt supra dictum est. Non ergo est proprium sacerdotis consecrare hoc sacramentum.

4. Præterea, Hoc sacramentum perficitur in consecratione materia. Sed alias materias consecrare, sicut christina, oleum sanctum, & oleum benedictum, pertinet ad solum Episcopum, quorum tamen consecratio non est tante dignitatis, sicut consecratio Eucharistiae, in qua est totus Christus. Ergo non est proprium sacerdotis, sed solum Episcopi, hoc sacramentum consecrare.

Sed contra est, quod Isidorus dicit in quadam Epistola, in qua & habetur in Decret. dist. 25. Ad presbyterum pertinet hoc sacramentum corporis & sanguinis Domini in altari Dei consecrare.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) hoc sacramentum est tantae dignitatis, quod non consecratur nisi in persona Christi. Quicumq; autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Sicut autem baptizatio conceditur à Christo potestas sumendi hoc sacramentum, ita sacerdoti, cum Ordinatur, confertur potestas hoc sacramentum consecrandi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum est à Domino: hoc facite in meam commemorationem. Et ideo dicendum est, quod proprium est sacerdotum consecrare hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus sacramentalis in pluribus consistit, & non in vno tantum: sicut virtus baptismi consistit in ipsis verbis, & in aqua, vnde & virtus consecrationis non solum consistit in ipsis verbis, sed etiam in potestate sacerdoti tradita in sua consecratione & ordinatione, cum ei dicitur ab Episcopo: Accipe potestatem offerendi in Ecclesia sacrificium tam pro viuis, quam pro mortuis. Nam & virtus instrumentalis in pluribus instrumentis consistit, per quae agit principale agens.

Ad secundum dicendum, quod laicus iustus vnus est Christo vnione spiritali per fidem & charitatem, non autem per sacramentalem potestatem. Et ideo habet spiritalis sacerdotium ad offerendum spirituales hostias, de quibus dicitur in Psalm. 50. Sacrificium Deo spiritus contritus & Rom.